276

J. P.

Beneficij loco suscipio præstitum mihi honorem: sed quo animo, an tremulo, an ægro? Promiscue. Ago D.V. quamplurimas gratias, sed nec vestra fortuna desiderat remunerandi vicem, nec mea sugerit restituendi facultatem. D.V. semper mihi ante oculos posita singularis beneficentia, etiam expostulat gratitudinem, nam

Gratia quæ tarda est, ingrata est, gratia namq.
cum fieri properat, gratia grata magis.

Alias: Creditori (aiebat Seneca) præter sortem extra ordinem numeramus, beneficiorum autem usum esse gratuitum iudicamus: et illa crescunt mora, tantoq. plus solvendum quanto tardius. Singularem mihi præstitæ benevolentiam D.V. nemine discrepante res gesta est.

Cuncti simul assensere cohortes.

Quid de liberalitate D.V. dicam? prolixa fuit, ac benefica in me: late patuit. Quod facio, ostendam iure factum.

Nam *Gratia pro rebus merito debetur inemptis.*

~~Regia largientis~~ D.V. erga me claritas, potissimum impellit gratias ad agendas, ab ingrati animi vitio discedendo: quia

Hæc mihi semper erunt imis infixa medullis,
Perpetuiq. animi debitor huius ero.

Regij corporis individuum me præstitit D.V. ideo præstabo eam quam debeo memoriam vestrorum erga me meritorum. Nullumq. laborem, nullum onus, aut officium recusabo. Felicitas mea claram subrepsit in Aulam: inq.

Academia Regia, mirdo q. liceo videor, et admiror Academię celebratam nomine villam, quę tamen Aula Phillipi Matridum est, Regum q. Parens, cui paret utergq. Orbis, cui si Roma caput, cor hoc dedit orbi. unde

Nec laudare satis, dignasq. rependere grates
Sufficiam: referent Superi.

Non V.V. fugerit, quod ut e diversis vocibus constat chorus, ita variorum Studiorum mixtura constat eruditio. Sed inter tot Sydera, quid scintilla lucebit? Ab illorum radijs, istius igniculus, sicut Stellę in meridie: Sol tamen Stellas illuminat omnes, ita, prout licet à Sole, radiaturus. Denig. quam prompto animo, quam lubenti, ac liberali quam cito! V.V.

Longam telam brevitate recurrit.

Licet reponendi beneficij facultate destituar, tamen dabo operam diligenter ut ~~omnem~~ eta dem ad V.V. promerita prędicanda referam. et quoniam non potest fieri quod volo, id velim quod possim.

Nec quę de parva pauper Dijs libat acerra
Thura nimis grandi, quam data lance valent.

Hac motus ratione, et ope V.V. suffultus, probatum ~~affectum~~, et benevolentiam vestram animo gratissimo exosculor, Deumq. oro, ut Regium Corpus

Academicum in seram posteritatem immune conservare, omniq. felicitatis cumulo beare velit, quo proximi salus integra vivat, et gloria A.V. cumulata perduret. vale.

A. V. A.
Antonius Campillo.